

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis primi - Fasciculus primus): Vol. I.

London, 1806

Seite 47

DIANDRIA MONOGYNIA.

9

dilutè violaceo, palato villosa, flavo: calcar limbo brevius, deflexum, apice obtuso, parùm ventricosum. *Stamina* arcuata, glabra. *Antheræ* conniventes, cordatæ, albæ. *Germen* globosum, glabrum. *Stylus* brevis, filiformis, rectus. *Stigma* simplex.

a. Calyx.

D. Stamina et pistillum.

b. Corolla pictoris ope expansa.

E. Pistillum seorsim.

C. Labium superius magnitudine auctum.

LYCOPUS.

Linn. G. Pl. 15. Juss. 111.

Corolla quadrifida: laciniâ unicâ emarginatâ. *Stamina* distantia.
Semina quatuor, nuda, retusa.

TABULA 12.

LYCOPUS EXALTATUS.

LYCOPUS foliis pinnatifidis dentatis, calycibus quadrifidis quinquefidisve.

L. exaltatus. *Linn. Suppl. 87.*

L. foliis in profundas lacinias incis. *Tourn. Inst. 191.*

Marrubium aquaticum incanum, profundè incis. *Barrel. Ic. t. 154.*

In locis humidis circa Lupadium, Bithyniæ. 2.

Radix repens, perennis. *Caulis* erectus, 4—6-pedalis, ramosus, undique foliosus, tetragonus, hirsutus, sæpè rubicundus. *Folia* opposita, per paria decussantia, subpetiolata, profundè pinnatifida, utrinque hirsuta; lobis lanceolatis, acutis, integris dentatisve, superioribus plerumque latioribus, magisque basi confluentibus. *Verticilli* axillares, sessiles, densi, multiflori, *bracteis* parvis, lineari-lanceolatis, acutis, quandoque suffulti. *Calyx* campanulatus, hirtus, ad medium usque quinquefidus, aut sæpiùs (ut in icone prostat) quadrifidus, laciniis mucronato-spinosis, patulis. *Corolla* tubulosa, ringens, alba, calyce parùm longior; limbo quadrifido, inæquali, lobo supremo emarginato; fauce pilosâ. *Stamina* vix exserta. *Stylus* corollâ longior. *Stigma* bifidum, acutum. *Semina* obovata, retusa, angulata, compressa, resinosa-punctata, aromatica.

Varietas pinnatifida *Lycopi europæi* ad hanc speciem quam proximè accedit, at me iudice distincta manet caule humiliori, laciniis foliorum nunquam dentatis, calycibusque omnibus quinquefidis.

a. Flos.

d. D. Calyx fructum ferens maturum.

B. Calyx.

e, E, E. Semina.

C. Corolla cum staminibus styloque.

VOL. I.

D